

Programm

des

Königlichen Christianeums

Henricus Hartz.

zu

Altona

für das

Schuljahr 1885/86.

Inhalt:

1. Coniectanea Caesariana, vom Oberlehrer Dr. Heinrich Hartz.
2. Schulnachrichten, vom Direktor G. Heß.

Altona.

Druck von Peter Meyer.

1886. Progr. Nr. 255.

9aL
9 (1886)

17,20

Vertrag

des

Königlichen Schulraths



in

Blatt

für das

Schuljahr 1887/88.



Inhalt:

- 1. Unterrichts-Verordnungen vom Schulrath Dr. Heinrich Gortz
- 2. Schulnachrichten vom Direktor G. Sch.

Blatt

Druck von Peter Beyer

1887. Druck Nr. 252

Coniectanea Caesariana

scripsit

Henricus Hartz.

Veteres scriptores eos qui in scholis legi solent tametsi vitiis turpioribus virorum litteratorum assiduitate et acumine iampridem liberatos videmus, tamen mendis prorsus carere nemo facile dixerit nisi qui accurate legendi et singula quaeque perspicendi omissa cura ad totam sententiam ipsasque res mente percipiendas perventurus sibi videtur esse. Sunt etiam qui tanta codicum manu scriptorum reverentia obstricti teneantur, ut quaecunque remotis a nostra aetate temporibus scripta cognoscant, eam ipsam ob causam maximo opere suspiciant et ab omni reprehensione aliena iudicent; sunt qui quamvis in legendo nonnunquam offendantur fierique non posse ut omnia recte se habeant confiteantur, tamen sententiam libere verbis exsequi non audeant et notissimo cuidam vivendi praecepto addicti quae multis probantur, ea reprehendere nolint, ut omittam homines istos otio saginatos, qui ad vitam umbratilem facti vel dicam destinati nihil studiosius agendum sibi putant, quam ut celeriores animi atque ingenii motus inurbane reprimant quique ob innatum stuporem obtusumque ingenium cum in omnibus liberalibus artibus, tum in primis in critica exercenda sani iudicii prorsus sunt expertes. Iam Caesaris commentarios qui non modo in scholis a pueris leguntur et ediscuntur, verum etiam ab omnibus rei militaris scientiae studiosis semper lectitati sunt, si quis emendare etiam nunc voluerit, inveniuntur qui id negotium plane supervacaneum ducant quandoquidem hi libri tam simpliciter scripti sint tamque faciles ad intellegendum, ut nullas legentibus difficultates afferant. Quod qui dicunt, ii unquamne Caesaris commentarios recte legerint et mediocriter intellexerint admodum dubito. Plurima enim, modo paulo accuratius verba inspexeris, insunt non solum quae legentem impediunt scrupulosque inician, sed quae intellegi atque explicari omnino nequeant. Concedo ostendi facilius quam tolli eius modi difficultates, sed non video cur ob eam causam taciturnitate suppressi debeant.

B. Gall. I 30, 4 *Petierunt uti sibi concilium totius Galliae in diem certam indicere idque Caesaris voluntate facere liceret: sese habere quasdam res quas ex communi consensu ab eo petere vellent.* Mirum videri debet quod hoc loco principes Galliae adiciunt *idque Caesaris voluntate facere liceret*, quandoquidem ea ipsa res quam petebant, ut concilium haberetur, a nullo alio nisi ab ipso Caesare petebatur nec peti poterat. Plane ineptum quidem est cum e. g. exeundi veniam petieris, tanquam alteram petitionem addere ut hominis rogati permissu exire liceat: neque enim, si Caesaris voluntas petentibus oberat, ipsum concilium haberi licebat. Non vereor ne quis huic loco advocet diversas illas *voluntatis* quae inveniuntur apud Caesarem significationes, ut consilium aliquid faciendi aut promptum alicuius rei gerendae

studium aut animi condicionem aut benevolentiam favoremque, quarum nulla his verbis apta est. Longe melius et rectius Helvetii c. 7, 3 per legatos dicunt, sibi esse in animo sine ullo maleficio iter per provinciam facere, propterea quod aliud iter haberent nullum: rogare ut voluntate eius id facere liceat. Priore enim loco pronuntiant quodnam consilium sequantur; his adiungunt ipsam rogationem. Quorum ad similitudinem verborum facile fieri potuit ut hic locus de quo nunc iudicium faciendum est, a librario quopiam temere mutaretur et vitiaretur, cum, idque et facere addens ex una re rogata duas faceret. A Caesare igitur puto scriptum esse, petierunt uti sibi concilium totius Galliae in diem certum indicere Caesaris voluntate liceret. Ita enim duobus aliis huius commentarii locis Caesar posuit, 35, 3, Sequanisque permetteret, ut quos illi haberent, voluntate eius reddere illis liceret, et 39, 3, petebat ut eius voluntate discedere liceret.

II 5, 1: *Caesar Remos cohortatus liberaliterque oratione prosecutus omnem senatum ad se convenire principumque liberos ad se adduci iussit. Quae omnia ab his diligenter ad diem facta sunt.* Haec verba ita a Caesare scribi potuisse nego. Etenim, quae omnia dici non poterat nisi tribus aut pluribus vel rebus vel actionibus indicatis, ad quas hoc dictionis genus referretur. At hic omnino duae res efficiendae a Caesare imponuntur, altera ut omnis senatus ad se conveniat, altera ut principum liberi adducantur, qua in condicione, omnia non magis aptum est quam si nostro sermone de duabus rebus dicere velis, *Alles dies*. Multo magis enim pro, omnia exspectes, *utrumque*. Quam difficultatem sentientes Köchly et Rüstow libere, ut dici solet, vertunt: *sie leisten in allen Stücken den pünktlichsten Gehorsam*. Contra in his locis quos infra ponam, quae omnia et similia a scriptore posita esse nemo mirabitur: b. G. I 1, 1—3, *Belgae . . . Aquitani . . . Galli . . . Hi omnes . . . Horum omnium* — 19, 1, 2, *quod . . . traduxisset, quod . . . curasset, quod . . . fecisset, quod . . . accusaretur . . . His omnibus rebus unum repugnabat* — 29, 2, 3, *Helvetiorum . . . Tulingorum . . . Latobrigorum . . . Rauracorum . . . Boiorum . . . Summa omnium fuerunt* — II 24, 1—4, *equites nostri . . . fugam petebant, et calones . . . fugae se mandabant. Simul . . . clamor fremitusque oriebatur, alique aliam in partem perterriti ferebantur. Quibus omnibus rebus permoti equites Treveri* — III 13, 9, *et tempestatem ferrent facilius et in vadis consisterent tutius et . . . nihil saxa et cautes timerent; quarum rerum omnium* — III 11, 2—4, *petebant uti . . . praemitteret . . . sibi ut potestatem faceret . . . quorum si principes ac senatus fidem fecisset . . . se usuros ostendebant: ad has res conficiendas sibi tridui spatium daret. Haec omnia Caesar* — 20, 2, *si modo insulam adisset et genus hominum perspexisset, loca, portus, aditus cognovisset; quae omnia fere Gallis erant incognita.* — V 24, 1 eqs., *coactus est . . . legionesque in plures civitates distribuere. Ex quibus unam . . . alteram . . . tertiam . . . (§ 7.) Atque harum tamen omnium legionum* — 39, 1, *Ceutrones, Grudios, Leuacos, Pleumoxios, Geidunnos, qui omnes sub eorum imperio sunt.* ib. § 3, *Eburones, Nervii, Aduatuci atque horum omnium socii* — 50, 5 eqs., *Caesar consulto equites cedere seque in castra recipere iubet, simul . . . castra altiore vallo muniri portasque obstrui atque . . . concursari et cum simulatione agi timoris iubet. Quibus omnibus rebus hostes invitati* — 52, 2, *Institutas turres, testudines munitionesque hostium admiratur: legione producta cognoscit non decimum quemque esse militem sine vulnere: ex his omnibus iudicat rebus* — VII 20, 1, *quod castra . . . movisset, quod . . . discessisset, quod . . . reliquisset, quod . . . venisset: non haec omnia fortuito . . . accidere potuisse.* — 24, 1, *his tot rebus impedita oppugnatione milites, cum toto tempore frigore et adsiduis imbribus tardarentur, tamen continenti labore omnia haec superaverunt* — b. civ. I 3, 6 eqs., *Pollicetur L. Piso censor sese iturum ad Caesarem, item L. Roscius praetor . . . Dicuntur etiam ab nonnullis sententiae, ut legati ad Caesarem mittantur . . . (4, 1) Omnibus his resistitur* — 9, 4 . . . *Tota Italia delectus haberi, retineri legiones II, . . . civitatem esse in armis. Quoniam haec omnia nisi ad suam perniciem pertinere?* — 49, 1, 2, *Multum erat frumentum provisum . . . multum . . . comportabatur; magna copia pabuli suppetebat. Harum omnium rerum facultates* — 51, 1—3, *Venerant eo sagittarii . . . equites . . . Erant praeterea cuiusque generis hominum milia circiter VI . . . Erant complures honesti adulescentes . . . erant legationes civitatum; erant legati Caesaris. Hos omnes flumina continebant.* — 52, 1, *His tamen omnibus (i. e.*

casibus et incommodis, quae superioribus capitibus enarrata sunt) annona crevit. — 60, 1—3, Oscenses et Calagurritani . . . Hos Tarraconenses et Iacetani et Ausetani . . . et . . . Illurgavonenses . . . insecuntur. Petit ab his omnibus — 85, 6—11, Neque enim sex legiones alia de causa missas in Hispaniam septimamque ibi conscriptam neque . . . classis paratas neque submissos duces . . . Nihil horum . . . Omnia haec iam pridem contra se parari: in se . . . constitui . . . commutari . . . nihil valere . . . non servari . . . Quae tamen omnia et se tulisse patienter. — II 14, 2, uti uno tempore agger, plutei, testudo, turris, tormenta flammam conciperent et prius haec omnia consumerentur — III 53, 1, Ita uno die VI proeliis factis, tribus ad Dyrrhachium, tribus ad munitiones, cum horum omnium ratio haberetur — 61, 3, Sed hi cognitis omnibus rebus, seu quid in munitionibus perfectum non erat, seu quid . . . desiderari videbatur, temporibusque rerum et spatiis locorum, custodiarum varia diligentia animadversa, . . . haec ad Pompeium omnia detulerunt. — 71, 1, Duobus his . . . proeliis Caesar desideravit milites DCCCCLX et equites . . . Tuticanum . . . Fleginatem . . . Granium . . . Sacrativirum; sed horum omnium pars magna —. In his locis quos supra posui, hi omnes vel qui omnes vel talia usitatissima anaphorae figura referuntur ad ternas res vel complures. Ne quid omittam, eorum quoque locorum adscribam numeros in quibus scriptor eodem dicendi genere usus non complures res vel personas singillatim enumeratas, sed tamen plus quam binas animo complectitur; sunt autem hi: b. G. I 44, 3 et 12. II 2, 4. III 17, 2. IV 36, 4. V 1, 3. 12, 2. VI 13, 8. VII 14, 4. b. c. II 7, 2. 35, 6. 37, 2. III 27, 2. 28, 4. 40, 3. Cum his verbis quorum nunc mentio a nobis iniecta est, similitudinem quandam praebent verba b. c. II 21, 1 ubi etsi non, qui omnes, hi omnes legitur, tamen, omnibus generatim gratias agit locutio iis quae secuntur generibus, civibus Romanis . . . Hispanis . . . Gaditanis . . . tribunis militum centurionibusque explicatur. Restant duo loci qui repugnare videantur. Alter est b. G. I 19, 1, Quibus rebus cognitis, cum ad has suspiciones certissimae res accederent, quod per fines Sequanorum Helvetios traduxisset, quod obsides inter eos dandos curasset, quod ea omnia non modo iniussu suo et civitatis sed etiam inscientibus ipsis fecisset, quod a magistratu Aedunorum accusaretur, satis causae arbitratur eqs. Hic, ea omnia ad duas tantummodo res, Helvetios traductos et obsides datos pertinere dixeris si neglegentius rem spectaveris; at non ita esse patet ex toto verborum contextu. Etenim obicit Caesar Dumnorigi quod quaecunque gesserit, iniussu suo et civitatis et inscientibus Romanis Aeduisque gesserit, quo etiam significat proelium illud de quo sermo fuit cap. 18, 10 ceterasque omnes res quas multas a Dumnorige gestas, a Caesare non commemoratas esse consentaneum est. Nec silentio praetereundum videtur quod, cum ubique fere haec omnia vel quae omnia legatur, hoc loco invenitur, ea omnia quod vertendum videtur, diese seine ganze Handlungsweise, sein ganzes derartiges Thun und Treiben. (Sic saepius is pronomen ex orationis contextu est explicandum, ut I 20, 4, cum ipse eum locum amicitiae apud eum teneret — II 31, 6, si in eum casum deducerentur — V 35, 2, eam partem nudari necesse erat.) — Alter locus qui dubitationem movere possit est VI 42, 3, reversus ille . . . multum fortunam in repentino hostium adventu potuisse iudicavit, multo etiam amplius, quod paene ab ipso vallo portisque castrorum barbaros avertisset. Quarum omnium rerum maxime admirandum videbatur, quod Germani . . . ad castra Romanorum delati optatissimum Ambiorigi beneficium obtulerunt. Hic cum scriptor unam rem admirabilem his verbis, quod (fortuna) paene ab ipso vallo portisque castrorum avertisset, proposuerit tamquam exemplum eorum quae praemiserat, multum fortunam in repentino hostium adventu potuisse iudicavit — perguit dicere, Quarum omnium rerum quasi multas res admirabiles antea enumeraverit. Vides igitur hunc locum non esse in iis numerandum, in quibus hi omnes similiaque ad complures res singillatim enumeratas coniuncte referri pateat. — Iam ut redeam ad eum locum unde profectus sum, perlustratis his universis quae supra attuli a nemine puto negatum iri, quae omnia ab his diligenter facta sunt non potuisse a Caesare ita scribi ut nihil aliud ad diem factum esse traderet nisi senatores ad se convenisse principumque liberos obsides ad se esse accessitos. Neque enim video qua tandem opus fuerit ad diem diligentia in senatoribus congregandis et obsidibus adducendis, cum si Caesaris narrationem sequimur, ne fuisset quidem quod ad has res, quae statim sine ulla difficultate effici possent, dies a Caesare constitueretur. Quae cum ita sint, post, iussit nonnulla puto

excidisse, in quibus de auxiliis mittendis, de oppidis patefaciendis, de frumento aliisque rebus comportandis mentio fieret, qualia Remi sua sponte polliciti erant supra c. 3, 3, paratosque esse et obsides dare et imperata facere et oppidis recipere et frumento ceterisque rebus iuvare'. II 32, 1, *Ad haec Caesar respondit: se magis consuetudine sua quam merito eorum civitatem conservaturum si prius, quam murum aries attigisset, se dedidissent*'. Fuit sane Caesaris consuetudo ut clementia uteretur erga eos qui sponte in deditionem venirent vel veniam peterent: at idem Caesar summam severitatem, cum usus erat, exercere non verebatur. Dixerit hic aliquis non quaeri qualem Caesar in dediticios se praebere consueverit sed quid illo ipso tempore Aduatucos misericordiam eius implorantes de sua consuetudine docuerit. At quanquam non nego quotienscunque per legatos de pace agatur, existere posse quandam orationum et ipsarum rerum discrepantiam, saepissimeque alia dici, alia sentiri, tamen non video cur Caesar hoc loco suam consuetudinem illorum merito opponat, cum aliis locis in venia danda vel deditione accipienda clementiam suam liberalitatemque iactare soleat. Sic VII 41, 1 Aeduis mortem deprecantibus nuntios mittit qui suo beneficio conservatos docerent; ibid. 43, 4 Aeduis sese purgantibus respondet, nihil se . . . de sua in Aeduos benevolentia deminueret'. Sic b. civ. I 23, 3 apud Domitianos, pauca loquitur, quod sibi a parte eorum gratia relata non sit pro suis in eos maximis beneficiis' — et ib. III 98, 2 post proelium Pharsalicum Pompeianos qui ab eo salutem petebant, consolatus consurgere iussit et pauca apud eos de lenitate sua locutus . . . omnes conservavit'. In eandem sententiam respondet Afranio ib. I 85, praeterea quoque loco qui huic non admodum dissimilis est, b. civ. II 22, 6 Massilienses, magis pro nomine et vetustate quam pro meritis in se civitatis conservat'. Veri simillimum igitur videtur hoc quoque loco legendum esse, *se magis mansuetudine sua* eqs., praesertim cum hostes eodem vocabulo in petenda conservatione usi sint c. 31, 4, si forte pro sua clementia ac mansuetudine'. Ita ipsis petentium vocabulis Caesarem utentem facimus ut videmus eum uti III 27, 4 et 5: propter imprudentiam ut ignosceretur petiverunt. Caesar . . . ignoscere imprudentiae dixit'.

III 5, 2, *uti et viatores etiam invitos consistere cogant*'. Cum nemo cogatur nisi invitus, tamen Caesar b. civ. I 86, 4 scripsit, neu quis invitus sacramentum dicere cogatur' et b. G. I 17, 6 similiter, quod necessariam rem coactus Caesari enuntiarit', qui locus frustra a Nipperdeio mutatus est. Haec ex quadam dicendi ubertate et abundantia explicari possunt. Sed si quis dicit, *etiam invitos cogant*' ut h. l. dictum est, eum apparet adiecto etiam significare aliquem cogi posse vel non coactum. Ergo illa duo vocabula, *etiam invitos*' non possunt vitiosa non esse. Nec difficili negotio possit substitui, *finitimos*' vel, *et amicos*' vel, *ad examinandum*' unde illa facile corrumpi potuerunt. Ego tamen, *etiam*' ex, *et*', *invitos*' ex, *viatores*' duplicis scripturae errore ortum esse crediderim. Quod si uncis incluseris, *etiam invitos*', vide quam aequabiliter inter se respondeant totius enuntiatii membra:

et viatores	—	et mercatores
consistere cogant	—	in oppidis vulgus circumstat
et quid quisque eorum de qua re	}	quibusque ex regionibus veniant quasque ibi
audierit aut cognoverit		
quaerant	—	pronuntiare cogant

cui sententiarum concinnitati illud, *etiam invitos*', quia nullo simili postea excipitur, minime accommodatum est.

III 15, 2, *et cum ad confluentem Mosae et Rheni pervenissent, reliqua fuga desperata, magno numero interfecto, reliqui se in flumen praecipitaverunt. atque ibi timore, lassitudine, vi fluminis oppressi perierunt*'. In his verbis nonnulla sunt obscura et inter se repugnantia. Etenim si, *reliqua fuga*' pro longiore fuga positum accipimus, non recte dictum est, *reliqua fuga desperata*', quia Germani eo ipso consilio in Rhenum se praecipitant ut longius fugiant. Sin, *reliqua fuga desperata*' dictum putamus pro nulla aliter aut alia via fugiendi spe data, item perverse dictum est quod Rheni traiectione certior spes salutis in praesens Germanis praebere poterat nulla. Praeterea offendit adiectum, magno

numero interfecto'; cogitari enim non potest Germanos cum ad flumen ventum esset, sine ullo certamine fluminisque tranandi copia data trucidari se passos esse ac tum demum reliquos in flumen desiluisse. Quod autem nonnulli interpretes volunt, iam antea in fuga multos interfectos esse ob eamque causam eos qui ad flumen pervenissent, de reliqua fuga desperavisse, hoc minime ingeniosum videtur. Dicit aliquis fieri posse ut Caesar haec de industria obscurius et brevius narraverit ut Germanorum virtuti quae in redintegrato proelio conspici posset, obtrectaret: at neque erat quod hostes a se victos vellicaret, neque in superioribus capitibus quidquam aliud nisi perfidiam in iis vituperavit. His de causis post reliqua fuga desperata' puto nonnulla intercidisce quibus denuo ad flumen pugnatum esse demonstraretur, et in hunc fere modum orationem continuatam fuisse: *reliqua fuga desperata'* rursus constiterunt proeliumque redintegraverunt, sed *magno numero interfecto'* eqs. (Similiter I 25, 6 legitur *qui sese receperant, rursus instare et proelium redintegrare coeperunt'*.) Hac fere ratione ubi lacunam expleveris, illae difficultates quas supra exposui tollentur.

III 17, 9. 10 *sublicae et ad inferiorem partem fluminis oblique agebantur, quae . . . et aliae item supra pontem mediocri spatio, ut . . .'* Nemo non videt hic *ad inferiorem partem fluminis'* positum esse, ut ita dicam, pro infra pontem, hisque verbis deinde oppositum esse *supra pontem'*. Sed quid est *ad inferiorem partem fluminis'*? Dicitur ita poterat, si capita tignorum, quae infra pontem in fundum Rheni fistucabantur, ad ostium fluminis conversa erant: at id minime verum esse, immo vero capita illorum tignorum ad pontem conversa fuisse non est quod pluribus explicemus. Possis *fluminis'* in *pontis'* mutare, possis corrigere *ad inferiorem pontem'*, sed haec sententiae non satis faciunt. Ego malim nihil nisi *ad inferiorem partem'* a Caesare scriptum putare, quae per se satis intellegi posse patet ex eiusdem capituli § 5, cuius verba *ab inferiore parte'* sine alio additamento plana et aperta sunt. Nihilominus aliquis librarius hoc *ad inferiorem partem'* addito *fluminis'* explicare voluit fortasse similes locos memoria tenens (ut I 1, 6 *ad inferiorem partem fluminis Rheni'*) sed non satis perspecta huius loci natura.

III 18, 1—3 *Diebus decem, quibus materia coepta erat comportari, omni opere effecto, exercitus traducitur. Caesar ad utramque partem pontis firmo praesidio relicto in fines Sugambrorum contendit. Interim a compluribus civitatibus ad eum legati veniunt . . .'* Perspicuum non fit nec quando venerint legati, neque a quibusnam nationibus, a Gallis an a Germanis missi sint, neque *interim'* quid sibi velit. Si quis dicat hoc *interim'* ad illos decem dies referendum esse, quibus materia conferri coepta opusque confectum et exercitus traductus est, respondendum videtur, non esse quod Caesar priore loco ponat Rheni transitum, altero legatorum adventum, qui fuerat ante transitum: ergo si verba recte se habent, ut iam cum in Gallia commoraretur, legatos acceperit, tamen necesse est etiam post Rheni transitum alias legationes ab eo acceptas esse, quas a transrhenanis nationibus venisse consentaneum est. Tum autem *interim'* minime locum habere potest: immo vero in ipso itinere debebat cum his hominibus congregari ut c. 11, 1 de Tencterorum legatis traditur. Itaque legendum esse censeo *In itinere a compluribus civitatibus ad eum legati veniunt'*. Cfr. etiam I 27, 1. 2 *Helvetii omnium rerum inopia adducti legatos de deditioe ad eum miserunt. Qui cum eum in itinere convenissent'* eqs.

III 34, 3 *Dum haec geruntur, nostris omnibus occupatis qui erant in agris reliqui discesserunt'*. Verba *qui erant in agris reliqui'* nisi de hostibus accipi non posse, ex ipsa sententia per se patet: quid sit *in agris reliqui'* obscurum est, praesertim cum 27, 7 haec legantur: *interea (Britanni) suos remigrare in agros iusserunt'*. Ego non possum quin hoc loco Britannorum principes cogitem, quos ad Caesarem convenisse supra 27, 7. 30, 1. 32, 1 demonstratum est. Hi cum pro pacis interpretibus remanere vel pro obsidibus retineri possent, imprudentibus Romanis ad suos discesserunt. Quare non *in agris'* recte legi sed *qui erant in castris reliqui'* a Caesare scriptum esse putaverim.

V 2, 2 *circiter sescentas . . . naves . . . invenit instructas, neque multum abesse ab eo, quin paucis diebus deduci possint'*. Ubiunque Caesar hoc instruendi vocabulo in armanda vel adornanda re aliqua usus est, adiecit quomodo vel quibus adiumentis ea res adornata fuerit, ut b. G. V 5, 2 omnibus rebus instructas. b. civ. I 36, 2 parum clavis aut materia atque armamentis instructis. 56, 3 omnibus rebus

instructa classe. 57, 2 magnoque numero pilorum, tragularum reliquorumque telorum se instruxerant. II 4, 3 tali modo (remigibus, gubernatoribus, sagittariis, tormentis) instructa classe. 5, 1 omnibus rebus instruxerat. III 111, 3 quinquereemes aptae instructaeque omnibus rebus ad navigandum. Hoc uno loco nihil tale additur, cum eo magis desideretur quod statim in iis quae subiciuntur, neque . . . abesse . . . scriptor indicat prorsus instructas naves tamen nondum fuisse. Accedit quod V 5, 2 denuo legitur, reliquas naves paratas ad navigandum atque omnibus rebus instructas invenit. Quas ob causas cum ferri non possit, instructas suspicor ab initio scriptum fuisse, invenit structas, quam rariorem vocabuli formam, quae tamen in b. c. II 9, 8 et 10, 5 reperitur, facile librarius aliqui potuit adduci ut in, instructas mutaret, sive quod id usitatus esset sive quod antecedentis, invenit vocabuli initio turbabatur.

V 13, 6, *Tertium (latus) est contra septentriones: cui parti nulla est obiecta terra, sed eius angulus lateris maxime ad Germaniam spectat.* Nemini hic perspicuum est quid sit, eius angulus lateris: cum Caesar Britanniam triquetram appellet i. e. trigoni figuram ei tribuat, cuius trigoni lineas laterum nomine appellat, necesse est harum trium linearum binos fines esse, quos supra § 1 angulos appellat. Iam cum a primo et altero latere ad tertium latus perventum esset, cui nulla terra obiecta esse demonstratur, nihil aliud adici poterat nisi alterum saltem angulum eius lateris ad Germaniam esse conversum. Quam ob rem ego puto a Caesare sic scriptum esse: sed eius angulus alter maxime eqs. Facile enim aliquis lateris vocabulum hoc loco potuit desiderare et adscribere, quod tamen necessarium non esse patet ex initio enuntiati: tertium est contra septentriones —.

V 14, 3, *capilloque sunt promisso atque omni parte corporis rasa praeter caput et labrum superius.* Necesse est aut corpus i. e. truncus h. l. opponatur capiti, aut caput pro parte corporis accipiatur. Illud si statuimus, ea quae post, rasa secuntur inepta sunt: sin corpus totum (das Ganze) significat cuius pars caput est, non video cur cum capite labrum superius, capitis pars, sit commemorata; ceterum supervacanea est etiam capitis non rasi mentio, quia antea de capillo promisso dictum est, ac si quis utique exacte rem pertractare velit, interrogare debeat raserintne Britanni etiam cilia et supercilia. Intellegi possent haec si scriptum esset, atque omni parte corporis rasa praeter cutem capitis (Kopfhaut) vel verticem et labrum superius. Nunc nescio an eiectis illis, et labrum legendum sit praeter caput superius.

V 16, 1—4, *Toto hoc in genere pugnae, cum sub oculis omnium ac pro castris dimicaretur, intellectum est nostros propter gravitatem armorum, quod neque insequi cedentes possent, neque ab signis discedere audent, minus aptos esse ad huius generis hostem, 2. equites autem magno cum periculo proelio dimicare, propterea quod illi etiam consulto plerumque cederent et, cum paulum ab legionibus nostros removissent, ex essedis desilirent et pedibus dispari proelio contenderent. 3. Equestris autem proelii ratio et cedentibus et insequentibus par atque idem periculum inferebat. 4. Accedebat huc, ut nunquam conferti, sed rari magnisque intervallis procliarentur stationesque dispositas haberent, atque alios alii deinceps exciperent integrique et recentes defetigatis succederent.* In hoc sententiarum contextu quem non potui non integrum oculis subicere, aliquid esse corruptum nonnulli viderunt; rectene vero a Tittlero § 3 unciis sit inclusa, vehementer dubito, cum nihil in iis verbis insit quod satis explicari nequeat. Contra § 2 compluribus locis difficultatem affert legentibus. Primum enim in verbis, illi etiam consulto plerumque cederent neque illud, etiam sensum ullum praebet, cum id quod, consulto cedentibus oppositum esse debet, vel fortuito vel per imprudentiam vel necessario cedere hic locum nullum habeat neque habere possit. Deinde tota descriptio pugnae essedariae non congruit cum illa quam scriptor III 33 proposuit: illic enim § 1 essedarii in impetu faciendo desiliunt et pedibus proeliantur, neque proelio excedunt nisi cum a multitudine hostium premuntur; — h. l. dicuntur ex essedis desilire, cum consulto cesserunt i. e. cum simulate fugerunt, id quod cogitari plane non potest. Praeterea non satis patet quid sit, dispar proelium; quod si significat infirmiores viribus, non poterat id proelium nostris periculosum esse: sin, dispar proelium est varium vel ex diverso pedibus, essedis, equis pugnandi genere mixtum (ein Kampf mit verbundenen Waffen Goeler) velim explicetur quomodo iidem homines, qui ex essedis desilissent, tamen

eodem tempore ex essedis vel equis contendere poterint. Conieceram pridem legendum esse ‚pedibus dispersi proelio contenderent‘, sed ita difficultates illae quas supra demonstravi non tolluntur. Nunc totam illam capituli 16 § 2 inde a verbis ‚equites autem‘ usque ad ‚proelio contenderent‘ falsae originis esse existimo. Facile aliquis cum in § 3 legeret ‚et cedentibus et insequentibus par atque idem periculum inferebat‘, potuit reminisci similis illius condicionis quae fuit in Titurii et Sabini cum Ambiorige certamine (v. imprimis V 34, 2 et 3 ibique 35, 1—4) vel quae fuit Curionis ante interitum b. c. II 41, 5, 6, et nescio quo blaterandi stimulo incitatus illa pro rerum statu mutata huc traducere; fortasse ne id quidem egit ut Caesaris verba amplificaret et interpolando exornaret, sed interpretandi et explicandi studiosus haec verba in margine libri perscripsit, quae postea librariorum inscientia vel temeritate in verborum ipsum contextum irrepserunt. Omissa autem § 3 nihil deest ad sententiae integritatem et absolutionem.

V 26, 4 ‚tum suo more conclamaverunt uti aliqui ex nostris ad colloquium prodiret: habere sese quae‘ eqs. Non facile explicabitur quid sibi velit adiectum illud ‚suo more‘, praesertim cum ne pateat quidem in ipsa conclamatione an in iis quae conclamantes postularunt mos contineatur. Alia est res infra c. 37, 3 ‚tum vero suo more victoriam conclamant atque ululatum tollunt‘, quo loco facillime cogitari potest Eburones in hunc modum exploratae victoriae laetitiam erumpere solitos esse. Forsitan quispiam dixerit h. l. Caesarem id maxime spectare, ut non ordine per legatos a barbaris cum Romanis actum, sed vasto clamore colloquium postulatum significaret; hunc autem Eburonum fuisse morem aliunde non constat, nec facile intellegitur cur tandem is mos commemoretur aut quomodo aliter Gallis faciendum fuerit. Quare ‚suo more‘ corruptum existimo et sic emendandum esse ‚tum sine mora conclamaverunt‘ eqs.

V 31, 5 ‚Omnia excogitantur, quare nec sine periculo maneat et languore militum et vigiliis periculum augeatur.‘ Quaecumque ab interpretibus de hac sententia sunt prolata, legentibus non satisfaciunt. Namque ‚nec — et‘ voculae res inter se contrarias debent coniungere, quod non fit si contra ponitur manere periculosum esse et languore et vigiliis periculum augeri, i. e. si duarum rerum inter se opponendarum prior periculosa esse, posterior periculum prioris augere dicitur. Quod cum ita se habeat, ‚maneat‘ non dubito quin ortum sit ex mane eatur, quo accepto haec prodit sententia: milites (de his enim solis hic sermo potest esse) indignantur prava ducum consilia et solliciti quaerunt cur periculosa profectio tantopere festinetur et cur, si quidem mane (prima luce § 4) eundum sit, reliqua pars noctis vigiliis consumatur ac ne breve quidem tempus ad quietem militibus concedatur.

V 42, 3 ‚nulla ferramentorum copia, quae esset ad hunc usum idonea, gladiis cespites circumcidere, manibus sagulisque terram exhaurire nitebantur.‘ Perperam ‚copia‘ h. l. vocatur ‚idonea‘: neque enim dicendum erat ferramentorum copiam fuisse exiguam aut nullam, sed ea ferramenta, quae reperiebantur, parum fuisse ad fossas faciendas accommodata. Itaque non ‚quae esset‘ sed ‚quae essent‘ a Caesare scriptum esse iudico. (Quod in deterioris notae codicibus — β apud Holderum — invenitur ‚quae sunt‘ illatum corrigendi causa videtur ab eo qui ‚esset‘ recte se non habere perspexisset.)

VI 5, 5 ‚ne desperata salute aut se in Menapios abderet aut cum Transrhenanis congregi cogere- retur.‘ Cum non id ageretur, ne rem aliquam facere Ambiorix cogere- tur, sed ne ea quae Romanis nocerent, efficere posset, ‚congregi cogere- tur‘ non potuit Caesari in mentem venire; immo ‚congregi posset‘. Quam rem diligenter reputanti suspicandum erit locum a Caesare non ita ut in codicibus traditus est, sed ‚congrederetur‘ scriptum esse, unde bis lecto vocabulo prava lectio ‚congregi cogere- tur‘ oriri facile potuit.

VI 8, 6 ‚Illi ubi praeter spem, quos fugere credebant, infestis signis ad se ire viderunt, impetum modo ferre non potuerunt ac primo concursu in fugam coniecti proximas silvas petiverunt.‘ Kraner haec adscripsit: ‚auch nur den ersten Angriff, d. h. nicht einmal — geschweige denn —‘. Eius vero loci quem comparationis causa affert VII 76, 6 ‚neque erat omnium quisquam qui adspectum modo tantae multitudinis sustineri posse arbitraretur‘ longe alia ratio est: illic enim recte ne aspectus quidem — nedum impetus cogitatione inter se opponuntur, neque cuiquam potest dubium videri, quin ii qui ne adspectum quidem ferre possint, impetum, qui multo gravior et periculosior est, multo minus laturo sint. At eius modi gradatio h. l. tantum abest ut in ipsis verbis insit, ut ne cogitatione quidem suppleri possit: etenim

quid est illud maius aut gravius, quod Kraner suo ‚geschweige denn —‘ indicat? Si quis in bello impetum ferre non potest, quodnam maius periculum aut quodnam gravius malum ab eo ferri posse negabis augendi causa? Nam quae Doberenz (1874) ad ‚impetum modo‘ adnotat ‚nur, auch nur den Angriff, wozu doch nicht viel Muth gehört und den sie deshalb hätten erwarten können‘ — nugae sunt. Id unum relinquitur, ut crebriores vel acriores impetus uni vel primo incursui opponantur. Quod si voluisset scriptor, haud dubie scripsisset unum modo impetum vel primum impetum, id quod non raro apud Caesarem legitur (b. Gall. III 2, 4. V 28, 4. VI 37, 3. b. civ. II 25, 5. 26, 3. 34, 3) aut ita orationem conformasset ut III 19, 3 habemus ‚ut ne unum quidem nostrorum impetum ferrent ac statim terga verterent‘. — Haec si recte disputata sunt, ego puto ‚modo‘ vocabulum praepostere, fortasse cum scribentis oculi a ‚fugere‘ ad ‚ferre‘ aberrassent, ad hunc locum pervenisse, a Caesare vero in antecedenti linea inter ‚quos‘ et ‚fugere‘ scriptum fuisse ut sententia haec esset: ‚Illi ubi praeter spem, quos modo fugere credebant, infestis signis ad se ire viderunt, impetum ferre non potuerunt‘ eqs. Similiter b. civ. III 27, 1 ‚qui modo sibi timuerant, hos tutissimus portus recipiebat‘.

VI 22, 3 ‚ne qua oriatur pecuniae cupiditas, qua ex re factiones dissensionesque nascuntur‘. Cum in hoc toto capite multa insint ambigue dicta et vix explicabilia, haec verba quae supra scripsi ut ita a scriptore posita sint plane puto fieri non posse. Non nego ex illo quod est apud nostrates de avaritia ut omnium malorum quasi radice ac fonte proverbio (‚der Geiz ist die Wurzel alles Übels‘) aliquem ex pecuniae cupiditate etiam factiones dissensionesque ducere posse, quae tamen sententia vereor ne nusquam apud veteres scriptores pronuntiata reperiat. Contra plerumque factiones dissensionesque a veteribus ad ambitionem dominandique studium referuntur, cuius rei non est quod apud Sallustium aliosque exempla quaeramus, quandoquidem in Caesaris libris plurima atque illustre exemplum Caesarem ipsum habemus. Praeterea aliud quiddam velim enuclees. Exponit h. l. scriptor quatenus consilia secuti magistratus ac principes Germanorum in singulos annos attribuendis agris suos ad vitam vagam et tumultuosam coegerint: nolebant studium belli gerendi interire, nolebant latos fines parari, corpora victus cultusque elegantia effeminari, nolebant denique pecuniae cupiditatem exoriri. Sed quis quaeso homines per diversas regiones circumducet vitandi causa pecuniae cupiditatem, cum plane ex contrario si quotannis domicilium mutes agros sane et aedificia qui tecum portare nequeas, pecuniam ipsam facillime auferas et asportes quocumque volueris. Quid? Iudaei qui totum orbem terrarum pervagati sunt, nunquamne pecuniae cupidi fuerunt? — Sed ne longius oratio progressa videatur, in ‚pecuniae‘ vocabulo mendum puto scripturae inesse corruptumque esse ex ‚regnandi‘, quod si uncialibus quas dicunt literis scriptum tibi finxeris, facile cum illo ‚pecuniae‘ mutari potuisse non negabis. Ubi vero reposueris ‚ne qua oriatur regnandi cupiditas, qua ex re factiones dissensionesque nascuntur‘ haec non modo per se ipsa recte dicta esse concedes, sed etiam ad ea quae secuntur: ‚ut animi aequitate plebem contineant, cum suas quisque opes cum potentissimis aequari videat‘ non incommodam transitionem praebere.

VI 33, 5 ‚Labienu[m] Treboniu[m]que hortatur, si reipublicae commodo facere possint, ad eum diem revertantur, ut rursus commutato consilio exploratisque hostium rationibus aliud initium belli capere possent‘. Hic perspicere non potest, cur aliud initium belli a Caesare ostendatur: neque enim, cum ad id tempus omnino bellandi initium factum non esset, sciri aut dici poterat aliter bellum postea gerendum fore. Ambigue dictum est etiam ‚possent‘; nequaquam enim liquet positumne sit pro ‚directo‘ ‚possimus‘ an quae non minus recta et idonea interpretatio est, pro ‚possitis‘. Praeterea nemo non expectat, simulatque ea quae h. l. imperantur, a Labieno et Trebonio effecta sint, fore iam ut rursus consilia communicentur et novum diversumque aliquod belli genus instituatur: quarum tamen rerum nihil in iis quae hinc usque ad anni exitum traduntur, invenire quisquam potest. Illud quoque mirum videtur quod Caesar h. l. pro ‚initium facere‘ non ‚initium sumere‘ sed ‚initium capere‘ scripsit, quod plerumque significat idem fere atque ‚oriri‘ vel ‚incipere‘: cfr. notissimum illud I 1, 5 ‚eorum una pars . . . initium capit a flumine Rhodano‘. — Omnibus igitur his quas exposui causis adducor ut h. l. aliquid corruptum esse suspicer, sed quo loco sedes sit vitii pro certo dicere non audeo. Fortasse ‚aliud initium‘ mendose scriptum est

ortumque ex ,aliud adiumentum', cuius ,ad' post ,ud' facile per errorem potuit omitti. Adiumenti autem vocabulum etsi apud Caesarem non legitur, apud Ciceronem tamen aliosque illius aetatis scriptores nequaquam rarum est: quo si usus h. l. Caesar est, facile intelleguntur finitimae illae gentes quae ad diripiendos Eburones evocabantur (34, 8. 35, 4. 43, 1) ideoque ad Romanos adiuvandos.

VI 40, 2 ,*Alii cuneo facto ut celeriter perrumpant censent, quoniam tam propinqua sint castra, et si pars aliqua circumventa ceciderit, at reliquos servari posse confidunt: alii ut in iugo consistent atque eundem omnes ferant casum*'. More apud Caesarem prorsus inusitato post ,ut perrumpant censent' interposito ,et . . servari posse confidunt' posterius ,ut' rursus pendere debet a censendi verbo, quam constructionis duritiam Schneiderus tollere studuit cum ,etsi' pro ,et si' poneret et haec omnia a ,quoniam' usque ad ,confidunt' interclusionem vel ut ipsius verbis utar, epexegetin similem parenthesi iudicaret. Sed et hic sententiarum ordo videtur esse artificiosior, et quomocumque verba accipies, ,confidunt' pro ,fidenter dicunt' vel ,se confidere dicunt', ut vult Schneiderus, tolerari posse non credo. Contra facillime procedet oratio, si ,confidant' scriptum erit: nam sic demum existit quae requiritur membrorum aequabilitas in huius modi duabus adhortationibus inter se contrariis: celeriter perrumpamus . . et . . confidamus — consistamus atque . . feramus.

VI 43, 4 ,*tanto in omnis partis diviso equitatu*'. Schneiderus in adnotationibus haec dicit: ,ad dictionem in omnes partes diviso, quae paulo insolentior est, cf. Livii 37, 45 § 19: *consul in hiberna exercitum Magnesiam ad Macandrum et Tralles Ephesumque divisit* h. e. mittit divisum'. Sed nemo negabit cum ille Livii locus apertissimus sit, neque de dividendo in partes ibi quisquam cogitare possit, hunc Caesaris locum obscuritate quadam laborare propter illud ,in omnis partis diviso'. Etenim ,dividere in partes' cum ubique fere partitionis sensum habeat, — vix est quod afferam ex Caesare ipso talia qualia sunt ,Gallia omnis divisa in partes tres' (I 1, 1) ,exercitum in duas partes divisit' (VII 34, 1) ,cum hic (vicus) in duas partes flumine divideretur' (III 1, 6) — h. l. ea locutio insolenter de copiis in diversas partes i. e. regiones distributo posita est. Itaque puto Caesarem non scripsisse ,in omnis partis diviso' sed ,in o. p. dimisso', ut huius capituli § 1 habemus ,in omnes partes dimittit'.

VII 7, 2 ,*Progressus in Nitiobriges et Gabalos ab utrisque obsides accipit et magna coacta manu in provinciam Narbonem versus eruptionem facere contendit*'. Eruptionem ii faciunt qui, cum in aliquem locum inclusi sunt, vel sui liberandi vel hostibus nocendi causa ex vinculis procurrant: contra irrumpere dicuntur qui in oppidum vel in castra vel in fines hostium impetus faciendi causa per vim intrare conantur. Ita in Caesaris libris haec duo vocabula ubique distincta invenies. Itaque Caesar h. l. scribere non potuit ,eruptionem', sed scripsisse statuendus est ,irruptionem', quod vocabulum etsi semel omnino, tamen huius libri c. 70, 2 legitur.

VII 19, 1 ,*Collis erat leniter ab infimo acclivis. Hunc ex omnibus fere partibus palus difficilis atque impedita cingebat non latior pedibus quinquaginta. Hoc se colle interruptis pontibus Galli fiducia loci continebant generatimque distributi in civitates omnia vada ac saltus eius paludis obtinebant sic animo parati ut* eqs. In hoc loco a permultis temptato ego quoque saepe diversisque temporibus laboravi cum exquirere cuperem quomodo esset explicandus. Et ut omittam ceteras rerum difficultates, ut pontes, qui quo consilio in palude facti fuerint non satis perspicitur, ut vada in palude exstantia, cum plerumque paludes nihil aliud nisi vada sint — id unum semper mihi persuasum erat, saltus in palude qualis in his verbis depingitur nulla ratione locum habere posse nisi forte vocabulum a saliendo duces et intelleges ea loca in quibus per intervalla in tumulis pedem ponens saliendo transire possis (Sprungstellen). Quae interpretatio cum per se tum ob eam causam displicet quod ,saltus' tali significatione nusquam apud scriptores Latinos legitur. Iam quotienscunque aliter verbis consulere mihi que satisfacere non possem, ad emendandum, si ea ratione ad verum sensum penetrare possem confugiebam et (ut verbo Mauriti Hauptii utar) circumeirca coniectabam (,conjectirte daran herum'), quod idem alii permulti fecerunt et meo iudicio frustra fecerunt. Ex literarum igitur similitudine quaerens unde ,ac saltus' scribendo depravatum esse posset, tentabam multa ut ,ac transitus' ,ac trajectus' ,ac tramites' ,atque aditus' (cfr. 15, 5) ,ac salicta' ,ac virgulta'

